



**R. P. Georgii de Rhodes Avenionensis S. J. disputationum
theologiae scholasticae tomus ...**

Rhodes, Georges de

Lugduni, 1661

Sectio II. Quænam sint propriæ species & partes Iustitiæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81987](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81987)

habendi peccatorem, extinguatur ex iustitia nego, ex fidelitate concedo. Vnde negatur consequentia, quia satisfactio non extinguit ius Dei, sed Deus liberaliter illud remittit, obligando se ipsum ex fidelitate ad non odio habendum, neque puniendum.

Quod addebatur Christum fuisse dominum suorum actuum liberorum distinguendum est, Christus & quilibet homo, ita est dominus suorum actuum liberorum, vt Deus non possit illos exigere imperando illos prout voluerit, & ad eos obligando, negatur, ita vt non possit ad illos necessitate concedo: Si enim sunt liberi certum est quod necessitas in illos non cadit, sed est tamen certum quod possunt à Deo supremo domino imperari.

Ex quibus omnibus facile colligi potest, quænam sint aliæ personæ inter quas reperiri potest iustitia & iniustitia. Primum, enim eiusdem ad se ipsum, nunquam esse potest iustitia, quia omnis iustitia est ad alterum iure distinctum, alioqui facere sibi posset aliquis iniuriam, & teneretur sibi satisfacere. Secundò, patris ad filium, vt filium, & vicissim filij ad patrem, vt patrem, non potest esse vera iustitia; sensus est quod pater in ijs quæ ita debet specialiter filio, vt non debeat nisi filio, iniustus esse non possit, sed tantum peccet contra pietatem, debet verbi gratia illum vt sic alere, educare, gubernare, &c. filius autem debet patrem colere, amare, obedire, alere in necessitate: illa si non præstiterit pietatem violat non iustitiam, propter allatam sæpe rationem, quia iurium alteritas ad iustitiam requisita, non inuenitur inter patrem & filium vt sic, cum omnia iura filij vt filij, sint sub dominio patris, atque adeo pater, non reddens filio ea quæ ipsi debet vt filio violat ius cuius est Dominus. Neque obligatur restituere, & contra Filius reddens Patri quæ debet illi vt tali, non adæquat illius ius extinguendo illud, & acquirendo ius in patrem; ijs verò quæ pater & filius debent cuilibet homini, verbi gratia non occidere, non adimere famam, potest Pater peccare contra iustitiam in filium, & filius in patrem, quia pater non est dominus iurium filij vt hominis: Tertiò, eadem omnino ratio est serui ad dominum, & domini ad seruum vt sic, quia seruus vt sic totus cum suis iuribus est domini. Vnde in ijs quæ dominus debet seruo vt seruo, iniustus esse non potest, sed crudelis, in ijs quæ debet illi vt homini, id est quæ cuilibet debet homini vera est iustitia, quia est distinctio iurium.

SECTIO II.

Quænam sint propria Species, & partes Iustitiæ.

S. Thomas quæst. 61.

TRia distinguebam, initio disputationis, genera partium, quas sigillatim in iustitia nunc inquiri. Illæ nimirum partes erunt essentielles & subiectiue, quæ totam eius rationem participabunt, æqualitatem perfectam, debitum strictum, & distinctionem iurium: Potentiales quæ ad alterum quidem sunt, sed non totam iustitiæ essentiam participant, eo quod vel non ponant perfectam æqualitatem, vel non respiciant strictum ius: integrales illæ sine quibus iustitia non potest obire integrè suum munus. De illis tribus vt distinctè dicam, primum videndum est vtrum iustitia diuidatur in commutatiuam & distributiua, tanquam in partes essentielles & proprias species, secundò vtrum sint aliæ præterea partes essentielles iustitiæ, tertio de reliquis partibus.

S. I.

Vtrum adequatè diuidatur Iustitia in commutatiuam & distributiua.

Prima & celeberrima iustitiæ diuisio in commutatiua & distributiua tanquam in partes essentielles adæquatè diuidentes iustitiam in veras species habetur à Philosopho, 5. Ethicorum cap. 2. 3. & 4. defenditurque communiter à Theologis cum S. Thoma quæst. 61. Sed fuit tamen hætenus difficile inuenire in quo illæ propriè differant, & quomodo diuersam participant rationem iustitiæ. Iustitia videlicet commutatiua definitur illa, quæ versatur in commercijs hominum, ponendo in illis æqualitatem arithmetica cum iure stricto, & priuato, quod quisque habet: Distributiua iustitia illa est, quæ versatur in distributione bonorum communis, ponendo cum illis æqualitatem geometricam cum iure, quod quisque habet, prout est pars communis. Quæ definitiones difficillimæ sunt & vix defendi possunt.

Ratio enim dubitandi est, quia iustitia commutatiua, & distributiua non sunt duæ species iustitiæ distinctæ inter se essentialiter, si nec differant per diuersas æqualitates arithmetica & geometricam, neque per diuersa debita, alterum absolutum & priuatum, alterum respectiuum & commune, sed illas neutro modo distingui, multipliciter probari potest.

Primum enim, non possunt duæ illæ iustitiæ distinguui per duas illas æqualitates, si iustitia commutatiua respiciat aliquando æqualitatem geometricam, & iustitia distributiua sæpe respiciat arithmetica: sed iustitia commutatiua sæpe respicit æqualitatem geometricam, nam verbi gratia, cum aliquis ex eodem contractu debet multis quibus plenè non potest satisfacere, tenetur soluere singulis seruata proportionem, ita vt faceret iniuste si totum vni solueret, alteri vero partem; vel si omnibus solueret æqualiter quibus tamen debet summam inæqualem: sed illa solutio est actus iustitiæ commutatiuæ, ergo in iustitia commutatiua seruatur æqualitas geometrica. Similiter si contraxisti societatem cum pluribus qui summam inæqualem contulerunt, teneris plus lucri dare illis, à quibus plus collatum est pecuniæ, idque secundum proportionem; si enim summa sit triplo maior, debet etiam esse triplo maior quantitas lucri, vbi sine dubio est etiam iustitia commutatiua; Similiter si Scholasticis eiusdem collegij, relinquat aliquis distribuendos aureos mille pro cuiusque inopia, tunc certum est quod ex iustitia commutatiua, tenetur distributor seruare illam geometricam æqualitatem dando cuique secundum proportionem inopiæ. Similiter iustitia distributiua videtur seruare proportionem arithmetica: nam beneficium conferri non potest nisi vni, debet autem dari digniori; & tamen illa est iustitia distributiua. Similiter si quis cathedram petat, vel beneficium sine concursu, tunc nulla inter plures fit distributio, & tamen seruatur iustitia distributiua.

Neque satisfacere videtur Lessius, dicens quod tunc seruatur vtrique iustitia, quia vtrique seruatur æqualitas. Sed hinc sequitur quod duplex committitur peccatum explicandum in confessione, quoties æqualiter distribuitur pretium, vel lucrum inæqualibus creditoribus: Deinde ille creditor non habet nisi vnum ius, ergo non potest nisi vna iustitia seruari. Denique iustitia propria non respicit æqualitatem

Definitio
vtriusque
iustitiæ.

Ratio
difficul-
tatis.

Non di-
stinguun-
tur per
diuersas
æquali-
tates.

QQQ 3 tem

rem metaphoricam, æqualitas vero geometrica non est æqualitas nisi metaphorica. Imo si iustitia respicit æqualitatem secundum proportionem, sequitur quod non respicit medium rei, magis quam fortitudo & temperantia.

Secundò, videtur quod distinctio ista utriusque iustitiæ, non petatur ex diuersitate iurium in bona priuata & communia. Probat, quia illa diuersitas iurium non sufficit ad distinctionem iustitiæ, quæ non sufficit ad distinguenda debita diuersa, sed diuersitas illa iurium priuati & communis, non sufficit ad distinguenda debita diuersa, debitum enim illud non est diuersum, quod si læsum sit eandem inducit obligationem restituendi, sed ius illud respectuum & commune, tam obligat ad restitutionem, si læsum sit, quam ius aliud proprium & priuatum: si enim malè distribuisti bona communia, neque seruasti eam, quam seruare tenebaris æqualitatem proportionis, teneris illi restituere cui minus dedisti, æquè ac si furatus esses bona illius propria. Imò ille iniquus distributor quando restituit id quod dare debuit, elicit actum iustitiæ commutatiuæ, ergo ille reparat ius commutatum reparando distributum; ergo illa non sunt duo iura.

Dico primò, iustitiam commutatiuam, & distributiua esse duas species iustitiæ inter se distinctas, tum propter diuersas æqualitates, quas ponunt, tum propter diuersa debita & iura quæ respiciunt. Ita communis censent cum S. Thoma & Philosopho, omnes ferè Theologi contra Buridanum, cum quo videtur etiam censere Vasques, discrimen utriusque iustitiæ non esse nisi accidentale *prima parte d. 85. & 82. 1. 2. disp. 223.*

Ratio a priori est, quia illæ virtutes specie differunt, quæ habent diuersa obiecta formalia, tum proxima tum remota, huiusmodi sunt iustitia commutatiua & distributiua, nam obiectum formale iustitiæ proximum est æqualitas cum iure, remotum autem est ius alterius: Iustitia commutatiua & distributiua, respiciunt æqualitates specie diuersas, vna arithmetica, altera geometrica: iura diuersa, vna ius absolutum & priuatum, quod est dominium: altera ius respectuum commune multis, ergo istæ iustitiæ habent diuersa specie obiecta, & specie differunt. Minor duas habet partes probandas sigillatim, nam distinctionem istam virtutum, negant Suares & Rebellus, posse peti à respectu ad diuersam æqualitatem arithmetica & geometrica, Vasques autem & alij plures, negant illam peti ex diuersis iuribus: ego cum Molina, Lessio, De Lugo dixi illam peti ex utroque capite.

Primò ergo, quod dixi de duabus æqualitatibus ut sit perspicuum, explicari debet quid sit æqualitas illa utraque, arithmetica nimirum & geometrica seu proportionum, quas explicat Philosophus mirabiliter citato loco 5. *Ethicorum*. Æqualitas Arithmetica dicitur æqualitas rei ad rem, abstulisti decem, totidem restituens, ponis æqualitatem perfectam rei restitutæ, cum re ablata, quæ appellatur arithmetica. Geometrica vero æqualitas, est similitudo proportionis cum proportione, si verbi gratia sint duo, quorum vnus dignitatem habet triplo maiorem, quam alter, debetur ei portio bonorum communium triplo maior quàm alteri, tunc enim proportio bonorum, est æqualis proportioni duarum personarum, ut autem accuratius etiam de hac utraque dicam æqualitate addam aliqua ex Philosopho.

Proportio ergo non aliud significat, quam similitudinem quandam duarum quantitatum vel numerorum, cum aliqua tamen dissimilitudine, ut cum

binarius dicitur habere proportionem sub duplam cum quaternario. Proportionalitas autem, est similitudo proportionum, & similitudinum, quæ reperiuntur inter quantitates & numeros: ut cum dicitur, sicut se habet binarius ad quaternarium, ita se habet senarius ad duodenarium. Quia vero similitudo semper est inter plura, ideo necesse est ut proportionalitas qualibet includat semper quatuor terminos, vel actum vel potestatem, ita ut si sint actum tantum tres, vnus eorum æquiualeat duobus, & bis accipiat: verbi gratia quæ est proportio binarij ad quaternarium, eadem est proportio quaternarij ad octonarium, illa enim est proportionalitas coniuncta, vbi quaternarius bis accipitur, si autem dicatur, quæ est proportio binarij ad quaternarium, eadem est proportio ternarij ad senarium, proportionalitas est disiuncta in qua sunt actum quatuor termini, & proportio subdupla.

Rursus autem hæc proportionalitas siue sit coniuncta, siue sit disiuncta, duplex esse potest, prima geometrica, seu secundum proportionem, quæ spectat æqualitatem proportionum inter numeros secundum se spectatos, siue in qua est eadem proportio minoris extremi ad medium, quæ medij ad maius extremum, verbi gratia in exemplis, quæ attuli, sicut se habet binarius ad quaternarium, ita ternarius ad senarium, ibi enim numeri comparantur inuicem accepti secundum se, binarij enim secundum se sumpti ad quaternarium subdupla est proportio, quia bis continetur in quaternario, sic ternarius bis continetur in senario. Proportionalitas autem arithmetica, seu secundum quantitatem, est similitudo proportionum, quæ sunt inter numeros non spectatos secundum se, sed quoad differentiam, quando scilicet eadem est proportio differentia, quæ est inter medium & minus extremum, ad differentiam, quæ est inter maius extremum & medium, non est autem eadem proportio ipsius minoris extremi ad medium, quæ est medij ad maius extremum: ut cum dicitur quæ est proportio binarij ad quaternarium, eadem est proportio ternarij ad octonarium, denarij ad duodenarium: Vel quæ est proportio binarij ad quaternarium, eadem est proportio quaternarij ad senarium: nam sicut quaternarius superat binarium, vno binario, sic quaternarium superat senarium binario. Unde patet quod æqualitas geometrica, est inter numeros secundum se spectatos, arithmetica inter numeros spectatos quoad differentiam: Prima est similitudo secundum proportionem numerorum secundum se, altera est similitudo secundum quantitatem differentia numerorum. Hæc autem omnia, ut accomodem iustitiæ cum Philosopho.

Sic probari potest conclusio. Æqualitas arithmetica & geometrica sunt æqualitates essentialiter inter se distinctæ, ut dixi, cum vna sit æqualitas omnino rigorosa & secundum quantitatem, altera sit æqualitas minus rigorosa & secundum proportionem, atque adeo vna est æqualitas rei ad rem, altera æqualitas proportionis ad proportionem, sed in iustitia commutatiua seruatur æqualitas arithmetica coniuncta, in iustitia distributiua seruatur æqualitas geometrica disiuncta, ergo istæ duæ virtutes respiciunt æqualitates specie diuersas. Minor e probat Philosophus, cum enim iustum & æquale, sit medium inter plus & minus, non potest illud constitui, nisi duo attendantur extrema, in quibus maius extremum, est is qui plus habet, quam debeatur, minus extremum, is qui minus habet, iustitiæque munus proprium est utrunque ad æqualitatem redigere quod non facit nisi constituendo medium plus & paucioris, quod est æquale iuri utriusque

Æqualitates arithmetica & geometrica.

Applicatur iustitiæ.

Proportio & personarum.

que. Cum autem contingit vt personarum conditio diuersa, non attendatur vilo modo, sed sola differentia inter plus, & minus in ipsa re, tunc æqualitas, quam iustitia ponit est arithmetica coniuncta, vt nimirum eadem sit differentia minoris extremi à medio, quæ medij est à maiori extremo: verbi gratia si sint duo habentes singuli aureos decem, vnus autem alteri furetur duos, tunc ille qui facit iniuriam habet aureos duodecim, qui vero patitur habet tantum octo: vt ponatur æqualitas inter illos, necesse est poni medium inter octo, & duodecim proportionem arithmetica coniuncta, non enim ponitur æqualitas, nisi singuli habeant decem: est autem eadem differentia octonarij ad denarium, quæ denarij ad duodenarium, si numeri considerentur secundum se, ergo in iustitia commutatiua seruatur æqualitas arithmetica, quæ præcisè comparat quantitatem lucri, seu pluris, cum quantitate damni seu paucioris: non attenditur autem personarum dignitas, sed ponitur æqualitas inter rem & rem.

Distributiua respicit æqualitatem geometricam.

Cum autem contingit vt diuersa personarum conditio, per se attendatur in constituenda æqualitate inter plus & minus, necesse omnino est vt seruatur proportio geometrica disiuncta ita vt eadem sit ratio rei quam tribuis vni personæ, cum re quam tribuis alteri, quæ est proportio dignitatis vnius personæ, cū dignitate alterius personæ: tunc enim est æqualitas geometrica quando eadem est proportio primi termini ad secundum, quæ tertij ad quartum, ac proinde quæ proportio est primi ad tertium, eadem sit proportio secundi ad quartum. Sicut se habent duos ad quatuor, sic se habent sex ad duodecim: sed in iustitia distributiua, quæ non attendit solam æqualitatem rei ad rem, sed etiam conditionem personarum, non potest poni æqualitas, nisi eadem sit proportio rei cum re, quæ est proportio dignitatis cum dignitate, ita vt verbi gratia si publicum ærarium diuidendum est in plures pro ratione nobilitatis, vel meriti in Rempublicam, meritum autem Pauli sit duplo minus, quam meritum Petri, fiet Petro iniuria, nisi summa pecuniæ data Petro, sit duplo maior quam summa pecuniæ data Paulo: ita vt eadem sit proportio pecuniæ cum pecunia, quæ est personæ cum persona, quæ propria est æqualitas geometrica, quia in ea non comparatur res cum re, sed illæ comparantur cum dignitate personæ, tantum enim debet distare res à re, quantum persona distat à persona. Iustitia ergo commutatiua respicit æqualitatem cum re, non attendendo qualitatem personæ: distributiua vero respicit æqualitatem proportionum, id est comparat rem cum re, secundum comparisonem personæ cum persona.

Secundò, explicari debet, deinde probari, quod habet conclusio de duobus iuribus. Dupliciter enim potest aliquis habere ius in aliquam rem, primum est ius absolutum & priuatum, alterum respectiuium & commune cum alijs. Primum est ille titulus, quo quis vt persona priuata potest aliquid dicere suum, tanquam verus illius Dominus, sine vilo respectu ad alios tanquam ad membra communitatis: sic enim Petrus habet ius in suam domum, in suam famam.

Alterum est titulus ille, quo aliquis vt membrum communitatis, potest exigere aliquid ex bonis communitatis, non quidem solus, sed simul cum alijs eiusdem Reipublicæ partibus, hoc enim ius est quidem in vna parte communitatis, sed ita tamen vt pendeat à iure quod habent aliæ partes eiusdem communitatis, pro quarum non solum conditione, sed etiam numero, illud crescit & decrescit: neque ita strictum est vt ante distributionem possit illud vsur-

pare, atque adeo neque illud dicere possit suum. Prius itaque illud ius est verum dominium, alterum autem minus strictum est & minus proprium ius: His positis.

Altera pars conclusionis de iuribus essentialiter distinctis, sequi videtur ex priori parte, nam illæ iustitiæ specie differunt, quæ respiciunt iura specie distincta, quorum scilicet vnum est verum dominium formale absolutum & independens, præscindendo à dignitate personæ, alterum autem non est dominium, sed ius respectiuium dependens ab alijs, & secundum proportionem dignitatis personæ: sed iustitia commutatiua ideo ponit æqualitatem arithmetica, quia ponit æqualitatem cum iure illo stricto, altera ponit geometricam, quia respicit ius posterius, ergo illæ iustitiæ differunt etiam ex obiectis indirectis, quæ sunt mensura iusti & iustitiæ, vt sæpè monui.

Ad primam Respondeo, dupliciter posse fieri vt iustitia respiciat æqualitatem geometricam: Primo per se ac propter se, id est vt æqualis sit excessus illius quod datur, excessui dignitatis quem habet accipiens. Secundo per accidens, id est vt cognoscatur æqualitas arithmetica, quæ intenditur primario. Fateor accidere sæpè posse vt iustitia commutatiua respiciat æqualitatem geometricam per accidens, quia etiam si nunquam illam intendat, illa tamen vtitur ad cognoscendam æqualitatem arithmetica, quam intendit, eam enim cognita eodem modo vni soluit, ac si deberet illi soli, quod certum est accidere.

Primò, cum quis ex contractu debet pluribus, id quod plene soluere non potest, tunc enim per se non intendit æqualitatem nisi arithmetica, sed vt eam cognoscat, vtitur proportionem geometricam, quæ cognita soluit eodem modo vni, ac si deberet illi soli: Differentia enim quæ est inter illos creditores, non est ratio propter quam debet, sed ratio cognoscendi, quod debet, nam eodem modo debet vni centum, ac si vnicus esset creditor, & non haberet nisi centum quos redderet, quia scilicet, id quod primario & per se intendit est vt reddat illi creditori, quantum debet illi supposita impotentia debitoris. Quod etiam patet, quia quando debitor potest plene soluere totum quod debet pluribus, tunc non intendit vilo modo æqualitatem geometricam, ergo illam non intendit nisi per accidens, quando non potest soluere nisi vnā partem debiti.

Secundò, eadem est ratio de altero casu in quod ex contractu societatis, pluribus debetur inæqualis quantitas lucri, quia inæqualis est summa quæ collata est à singulis: tunc enim seruatur etiam æqualitas geometrica tantum per accidens, ad cognoscendam æqualitatem arithmetica, quia debitor primario intendit creditori soluere id quod ei debetur ex contractu societatis, ex quo debetur ei quarta verbi gratia pars lucri, eodem modo ac si solus esset socius, quod etiam constat, quia si solus esset non plus ei deberetur, quam quarta illa pars lucri, in iustitia vero distributiua, pro numero ciuium crescit vel decrescit ius singulorum.

Tertiò, idem dici debet, quando diues aliquis reliquit pluribus eiusdem academix membris, certam aliquam summam distribuendam, pro cuiusque inopia & necessitate, tunc enim sola æqualitas arithmetica per se locum habet, geometrica vero per accidens. Neque tunc est distributio, sed solutio rei quæ antea erat sub dominio eorum quibus datur. Imò tunc ius vnius Scholastici per accidens tantum pender à iure aliorum, cum donatarius potuerit dare omnibus æqualiter, vel etiam non habita vlla ratione.

tione paupertatis, singulis illis assignare talem summam quæ nunc debetur: Vnde fit vt tunc vni eodem modo debeat, ac si esset solus, ideoque sola æqualitas arithmetica per se intenditur, geometrica vero ex accidenti. Idem dicendum est de stipendio, quod datur militibus, de mercede quæ debetur publicis operarijs, vni enim eorum, eodem modo datur, ac si esset solus.

In altero illo casu de beneficio, quod in concursu vni tantum debetur inter omnes dignissimos, vel etiam quod datur sine concursu, disputant authores quænam iustitia exerceatur. Multi enim cum Vasque putant eam esse iustitiam distributiuam, quia ibi fit comparatio inter merita plurium, siue illi veniant siue non veniant ad concursum. Sed hoc videtur difficile quia verius est quod ibi exercetur iustitia commutativa si tamen aliqua exerceatur iustitia Ratio est, quia solus ille dignior ius habet ad beneficium, alij vero nullum habent ius, ergo illi debetur beneficium eodem modo ac si esset solus: esto per accidens aliquando respiciatur æqualitas geometrica, ad cognoscendum ius strictum & commutativum, quod ibi solum reperitur.

Solutio
secundæ du-
bicationis
tria conti-
net.

Ad secundam Resp. cum Molina, tria notanda esse in argumento proposito.

Primum est, quod iniquus distributor bonorum communium, tunc cum iniquè distribuit, peccat solum contra iustitiam distributiuam, violando ius illud respectuum & proportionale quod cuius ille habebat cui fit iniuria: & tamen tenetur distributor ille iniquus reparare damnum, restituendo partem illam quam non dedit quod aperte asserit S. Thomas artic. 1. ad 3. & patet ex communi doctrina de restitutione.

Secundum est, quod obligatio illa restituendi causata per violationem iustitiæ distributiue pertinet ad iustitiam commutativam, cuius etiam sine dubio actus est restitutio: per eam enim restitutionem reparatur ius læsum, quod ante iniquam distributionem erat distributivum, post illam autem ex distributiuo factum est commutativum atque adeo ad restitutionem obligans ex iustitia solum commutativa.

Probatur, quia pars communitatis quæ ante factam distributionem habet ius distributivum in certam partem boni communis si iuste facta esset distributio, haberet ius commutativum in illam rem tantquam verè suam, & ita mutatum esset ius distributivum, in ius commutativum sed post iniuste factam distributionem eodem modo habet ius ac si facta esset iuste distributio, ergo ille cuius habet ius commutativum post iniquè factam distributionem, cum prius haberet ius distributivum: ergo iniquus distributor tunc obligatur ex iustitia commutativa reparare ius commutativum: cum enim teneretur mutare ius distributivum ad rem in ius commutativum in re, mutavit illud duntaxat in ius commutativum ad rem, vnde postea tenetur illud commutare in ius in re.

Tertium est, quod violatio iustitiæ distributiue non obligat quidem ad restitutionem faciendam ex iustitia distributiva, sed faciendam ex iustitia commutativa, quia (vt dixi) quando exercetur, vel violatur iustitia distributiva semper ius distributivum mutatur in commutativum. Ad illud verò quod opponi potest ius illud esse reparandum quod læsum est. Respondeo distinguendo, ius illud est reparandum, si maneat idem ius concedo, si non maneat idem, sed mutatum sit, nego: Illud autem ius est

mutatum, vt dixi. Denique nego eiusdem semper virtutis esse non facere iniuriam, & eam factam reparare, nam damnum factum contra vnam virtutem cuius motium amplius non manet reparari optimè potest per actum alicuius alterius virtutis cuius motium succedit motui alterius virtutis. Ad hoc autem quod iustitia distributiva sit vera iustitia sufficit quod obliget ad restitutionem saltem mediata.

§. II.

Vtrum iustitia legalis & vindicativa, sint etiam propria species iustitiæ, & reliquæ illius partes.

Negant aliqui cum Vasque prima secunda d. 50. cap. 2. Iustitiam legalem esse specialem & vnam virtutem, putant enim illam esse potius complexionem omnium virtutum, & adæquationem cum re-cta ratione, vel certè generalem legum obedientiam, semper enim exercet actum alicuius virtutis qui legibus patet.

Ratio dubitandi esse primò potest, quia si iustitia legalis est virtus ab alijs omnibus distincta, sequitur quod quoties violatur lex aliqua, duplex violatur virtus, atque ita duplex peccatum committitur, vel certè nunquam illa virtus violatur sine formali & expresso contemptu boni communis, quod non videtur verum.

Secundò, non potest distingui iustitia legalis à virtute obedientiæ, cum sit impossibile assignare motium distinctum ab aliarum virtutum motibus, nam illud dici non potest esse duntaxat dominium quoddam altum Reipublicæ in bona civium, quia ad solam obedientiam pertinet non impedire vt Reipublica utatur bonis civium in casu necessitatis, cum dominium illud altum, non sit nisi potestas iurisdictionis, aut certè ista virtus eadem est cum virtute pietatis.

Tertiò, iustitia vindicativa illa dicitur quæ punit peccata vt ponatur æqualitas cum iure alterius cui per peccatum facta est iniuria, vnde dicitur quod Christus satisfecit ex iustitia, sed illa virtus quæ ponit eo modo æqualitatem est vera species iustitiæ: ergo iustitia vindicativa est vera species iustitiæ.

Dico secundò, iustitiam legalem, & iustitiam vindicativam esse quidem speciales & propriè dictas virtutes, sed illas tamen non esse partes iustitiæ nisi potentiales.

Prima pars, communior est inter Theologos post S. Thomam quæst. 58. art. 5. & est conformis Philosopho 5. Ethicorum cap. 1. & 3. Politicorum cap. 3.

Ratio est, quia iustitia legalis licet materialiter sit omnis virtus, eo quod materia eius sit materia cuiusvis virtutis, seu observatio cuiuslibet legis: propria tamen ratio propter quam illa omnes amat virtutes, & observat omnes leges est incolumitas publica, seu bonum commune humanæ societatis.

Certum enim est, quod bonum illud commune patriæ aut alterius communitatis est aliquid amabile secundum rectam rationem, ergo illud esse potest motium specialis alicuius virtutis, ergo iustitia legalis non est omnis virtus, neque ratio duntaxat generica virtutis. Sed nec est obedientia, quæ servat præceptum propter motum subiiciendi se Deo, neque alia vlla virtus, quam iustitia legalis cuius proprius actus est servare leges propter bonum communitatis, hanc enim virtutem asserit Philosophus esse architecto

architectonicè quidem & principaliter in gubernatoribus, quorum proprium munus est procurare bonum commune, in subditis autem esse administratiuè.

Distingui-
tur à stri-
cta iustitia.

Secunda pars, asserit iustitiam quoque vindictiuam esse specialem virtutem à stricta iustitia distinctam, quia speciale motiuum eius est punire delicta, vel exigere illorum punitionem, quia hoc honestum est iuxta regulas rectæ rationis: patet autem illam esse tum in iudice cuius hoc est munus proprium, tum in quolibet homine priuato qui expetere potest, & procurare vt legitimè puniantur iniuriæ etiam illæ quas ipse accepit. Vnde patet etiam quod huiusmodi iustitia non potest esse species strictæ illius iustitiæ quæ ponit æqualitatem cum iure alterius, ista verò virtus ponit æqualitatem pænæ, cum qualitate delicti, non enim ponit æqualitatem cum iure alterius, nam si nocentem non puniat nullam ei facit iniuriam. Imò in homine priuato videtur perspicuum, nam si expectat fieri punitionem à iudice ob acceptam iniuriam, clarum est quod non elicit actum perfectæ iustitiæ, quem nemo elicit nisi quando strictè tenetur illi elicere, qui autem accepit iniuriam, non tenetur exigere punitionem, ergo non elicit actum iustitiæ.

Solutio
primæ du-
bitationis.

Ad primam Resp. negando quod in quolibet peccato duplex includatur peccatum, etiam si violetur iustitia legalis, quia hæc est generalis circumstantia inclusa in quolibet peccato, quæ propterea non potest constituere speciale peccatum, sicut obedientia, gratitudo, Charitas, etiam si virtutes sint speciales, nunquam tamen contra illas peccatur, nisi quando specialiter intenditur malum oppositum motiui.

Solutio
secundæ.

Ad secundam, satis dictum est, quale sit motiuum huius virtutis, & quomodo distinguatur à motiuo obedientiæ, imò & à motiuo pietatis in parentes & patriam.

Solutio
tertias.

Ad tertiam Resp. iustitiam vindictiuam illam esse quæ punit peccata, quia illa merentur pænā, non autem quia per illa ius alterius læditur, nam illa vt patet sunt duo motiua honesta, ergo illa duas terminant virtutes. Deinde nemo ante sententiam iudicis tenetur subire pænā, & tamen ante omnem sententiam, tenetur reparare ius alterius, ergo alia est virtus quæ punit, alia quæ satisfaciunt, prima est iustitia vindictiua, secunda est commutatiua.

Partes in-
tegrales.

Colliges ex his primò, quā verè dixerit S. Thomas *quest. 79. art. 1.* duas esse partes integrales iustitiæ, prima est facere bonum iustitiæ proprium, altera declinare à malo iustitiæ opposito: vbi statim occurrit difficultas, cur in alijs igitur virtutibus temperantia, & fortitudine partes integrales non assignentur facere bonum, & declinare à malo illis opposito scio multa dici à Doctoribus. Breuiter dico, quod declinare à malo & facere bonum sumi possunt dupliciter.

Primò declinare à malo significat, recedere ab extremis virtuti oppositis, & sic certum est, quod vnum ab altero non differt, nam accedere ad terminum ad quem & recedere à termino à quo, nullo modo differunt.

Secundò facere bonum significat ponere mediocritatem nondum positam, & declinare à malo est conseruare bonum iam positum, quod ab altero violari potest, in eo sensu facere bonum, & declinare à malo non sunt partes aliarum virtutum, in quibus nemo potest violare mediocritatem à me positam: sed sunt partes integrales iustitiæ, quæ consistit in actionibus ad alterum, & respicit medium rei, possum enim vel ius alterius conseruare illæsum, quod alter potest lædere, & illud læsum reparare, nam hoc est declinare à malo & facere bonum, in sensu S. Th.

Tom. I.

Colliges secundo, partes potentiales iustitiæ, quæ nimirum similitudinem quandam habent cum iustitia, ex eo quod sint ad alterum, & tamen à propria eius ratione deficiunt, commodè numerari decem, quarum quatuor deficiunt à propria ratione, quia respiciunt debitum inadæquabile, prima est religio respiciens cultum Deo debitum, secunda pietas cultum respiciens parentem, tertia obseruantia cultum eorum qui virtute pollent, quarta obedientia quæ superiorum imperio subiicitur, sex alia respiciunt debitum duntaxat morale, amicitia quæ varijs officijs reddit hominem alteri charum, includit autem beneuolentiam, clementiam, misericordiam: gratitudo affabilitas, veracitas, fidelitas, liberalitas cui affinis est magnificentia: duæ primæ sunt in affectu, duæ quæ sequuntur in verbis, duæ vltimæ facta respiciunt.

Partes po-
tentiales.

SECTIO III.

De dominio prout est obiectum iustitiæ commutatiuæ.

Sic constitutā naturā, & speciebus iustitiæ, sequitur vt dicam accuratius de commutatiua quæ maximè propriè iustitia est. Obiectum autem eius proximum vt sæpe dixi est omnis actio ponens æqualitatem cum iure, id est cum dominio alterius. Dominium igitur illud est, quod iustitia respicit vt obiectum remotum & regulam, video autem omnia quæ disputari de illo possunt ad quatuor potissimum reuocari capita de quibus breuissimè dici potest. Primum sit natura & species domini. Secundum sit subiectum domini, seu personæ in quibus est dominium. Tertium obiectum domini, seu quarum rerum habeatur dominium. Quartum eius acquisitio, seu modus quo acquiritur dominium.

S. I.

Quenam sit natura, quanam species domini.

Certum est primò, dominium vniuersè sumptum rectè definitur ius gubernandi vel disponendi de aliqua re tanquam sua, quia scilicet dominium eo modo sumptum diuiditur in dominium iurisdictionis & dominium proprietatis, primum est ius gubernandi subditos, id est præcipiendi, prohibendi, permittendi, iudicandi, præmiandi, puniendi, nam illi sunt actus gubernandi. Dominium verò proprietatis quod solum est propriè dictum dominium definitur facultas liberè disponendi de aliqua re in suum commodum, seu relatio aliqua, quæ rem aliquam respicit aliquis, vt suam; id est ius ex quo connaturaliter sequitur facultas disponendi, nisi sit aliquod impedimentum, vt patebit statim.

Certum enim secundo est, dominium proprietatis diuidi communiter, in dominium perfectum, & dominium imperfectum: primum est illud quod continet proprietatem rei & commodorum eius, definiturque ius in re se ad omnem rei dispositionem & vsum extendens nisi lege prohibeatur. Dicitur *ius in re* quod nimirum rem ipsam habet obligatam, & quod tribuit actionem non solum in personam sed in rem ipsam, ius enim ad rem non sufficit ad dominium. Deinde dicitur *extendere se ad omnem dispositionem & vsum*, id est ius ratione cuius possis rem illam tibi seruare, donare, vendere, vel etiam vastare ipsam eius substantiam, per hoc enim differt à dominio imperfecto vel directo, vel indirecto, vt constabit statim. Tertio addebam *nisi lege prohibeatur*, quia lex sapissi-

RRRr

mè